

PRAEFATIO AD LECTOREM.

Quum ante hos tres fere annos Parisiis in patriam redux essem, cupidissime Bibliothecam nostram Regiam adii ejusque codices orientales perlustrare coepi. In qua re egregie me adjuvit Cl. Eberti humanitas; quare peropportune contigit, ut ei pro hoc beneficio nonnullis codicibus, de quorum argumento parum constabat, breviter describendis quodammodo possem gratias reddere. Repetivi hanc opellam anno proximo, quum post nundinas Lipsienses Paschales aliquamdiu Dresdae morarer. Ita et incensa est cupiditas mea, codicibus nostris diutius operam dandi eorumque argumenta perscribendi, et intellexit Vir Clarissimus, me ad ejusmodi opus industria certe et patientia valere. Per aestatem ejusdem anni res meae dubiae admodum et ancipites fuerunt. Spes muneris extra patriam adipiscendi, aliunde mihi ostensa, effecit, ut domi conditionem honestissimam repudiarem; verum illa quidem postea excidi. Itaque repetito pristino illo de codicibus Dresden-sibus consilio, Cl. Eberto operam meam ad eos recensendos obtuli: qui vix uno die interposito respondit, se ipsum de ea re jam dudum cogitasse, nunc autem, quum me ul-tro ad eam promptum et paratum videret, se consilium de Catalogo codicum orientalium instituendo ad summum Bibliothecae moderatorem, Ill. Comitem de Einsiedel, delaturum esse. Neque id in Galendas graecas dilatatum, aut longa temporis mora extractum; nam paullo post me certiozem fecit, Ill. Comitem rem probasse, meque, ut Dresdam veni-rem, invitavit.

Atque haec quidem putavi mihi praemittenda esse, primum, ut intelligeres, quis vere fuerit hujus Catalogi auctor; deinde, ne mirareris, quod ego potissimum eum scribendum sortitus sim, non alius me doctior omninoque ad eam rem instructor. Nunc autem dicendum, qualem facere et debuerim, et vero voluerim. Ita igitur instruendus fuit, ut imprimis eorum usui aptus esset, qui aut absentes, quid a Bibliotheca nostra in hoc genere exspe-ctari possit, simpliciter cognoscere, aut ipsi coram codicibus nostris uti in eosque accu-